FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

ENCHIRIDION || CHRISTIANAE INSTITV-||tionis in Concilio prouinciali Colo-||niensi editum, opus omnibus ve-||ræ pietatis cultoribus lon-||ge ...

Gropper, Johann

Parisiis, 1550

DE VNCTIONIS INFIRMOrum sacramento, quae extrema appellatur.

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150244

Visual Library

Gene.2. Matt.19. Marc. 10. Luc.16. 1.Cor.7. Ephe.5. Gene.3.

cõiuges, eos de matrimonij institutione ex Genesi, de sacramenti sanctitate & efficacia ex Euãgelio, déque sacramenti mysterio & officio coniugali ex Paulo Eph. 5. deniq; de matrimonij molestiis, tanq̃ originalis peccati reliquiis, æquo animo tollerãdis, ex Genesi cõmonefacere, vt sciant quid apprehenderint, & qua ratione in ea vocatione viuere debeãt.

Cuius admoneri debeant, qui affectant matrimonio iungi.

SOlẽt alia multa in hac materia matrimonij disputari, quę ad ius positiuum pertinent veluti de gradibus, de impedimẽtis, de rescissionibus. Sed hæc omnia in præsentia excutere nõ est instituti nostri. Suffecerit parocho, quem instituendum hoc libro recepimus, docere populũ de matrimonij institutione, sacramẽti ratione ac sanctitate, denique de recto Christiani cõiugij vsu. In primis autẽ admoneri omnes conuenerit, vt quicunq; matrimonio iungi velit, talem consortẽ delígat, cui nec iura diuina vel humana prohibeant copulari, & cum quo speret se sanctã & indiuiduã vitæ consuetudinem perpetuo habiturũ: vtque omnis error personæ & conditionis atq; etiam qualitatis in cõtrahendo, quoad fieri potest, caueatur. Quòd si nihilo secius scrupus aliquis incidat, de gradibus seu aliis quæ vel contrahendum vel contractum matrimonium impedire possint, habet parochus Episcopum suũ. Ad huius iudicium hãc referat quæstionem, nec de re sibi parum cognita iudicãdi prouinciã sumat, quam non sine magna ratione vetus ecclesiæ Romanæ mos in causis matrimonialibus solis episcopis reseruauit: quanq̃ interim optaremus, vt Cõcilium generale, quæ in matrimonio iuris diuini sunt, ab his quæ sunt iuris hũani ac positiui, disertè secerneret, quod leui opera fieri poterit. Scimus enim in hoc sacramẽto magis, q̃ in vllo alio ius humanũ iuri diuino sic permixtum esse, vt alterũ ab altero, nisi ab oculatissimis haud facilè discerni possit, quod multã peperit in hac re difficultatem.

Sol. Episcopi olim de matrimonio iudicabant.

Piũ votũ.

DE VNCTIONIS INFIRMORUM sacramẽto, quæ extrema appellatur.

De ratiõe nominis. Iaco.5.

DE nomine sacramenti anxiè disputare non est necesse. Cõstat siquidem veteres hoc sacramentum appellasse sacramentũ vnctionis infirmorum, idque propriè, siue ad verba Iacobi Apostoli, quibus hoc sacramentũ promulgatur, siue ad vsum eius respicias. Postea dici cœpit sacramentũ extremæ

tremæ vnctionis: non ꝓ hoc agat ecclesia, vt hæc vnctio omnino extrema sit: nam & reiteratur, sicubi morbus depulsus subinde redierit, & per ecclesiã hac potissimũ ratione ministratur, non vt ægrotus eo percepto statim vita defungatur, & indormiscat, sed potius vt nedum mente, sed & corpore (si ita Deo visum erit) cõualescat, quod precationes illæ, ipsam vetustatem inspirãtes, ac plenæ omnis pietatis, quas in administratione eiusdẽ sacramẽti ecclesia adhibet, apertissimè demonstrant. Nec dubium, quin in primitiua ecclesia plerique infirmi, quũ vngerentur, pristinã incolumitatem reciperent, nimirũ fide flagrantiori, tam salutare mysteriũ accipientes. Quod hoc tẽpore rariores sunt, qui huius sacramẽti virtutẽ, saltem quod ad corporis conualescentiã attinet, experiãtur, in causa est fidei modicitas, quam oportebat in accipiẽtibus ardentem ac flagrantem esse, nam per hanc solam Dei virtutem in nobis efficaciter operari constat. Vnde Marci 5. legimus: Et non poterat nimirum Christus, ibi virtutem vllã facere, nisi quòd paucos infirmos impositis manibus curauit, & mirabatur propter incredulitatem eorũ. Sed vt ad rationem nominis reuertamur. Vnctio hæc infirmorum, vel ob id extrema dicta videri potest, quòd extrema sit è quatuor illis, quę in ecclesia celebrantur. Nã (vt suprà diximus) primũ vngimur catechumeni, dein vngimur baptizati statim post baptismum, vngimur quoq; quum cõfirmamur: demũ excessuriè vita, extremã accipimus vnctionem. Quòd si & quintã vnctionem addere placeat qua sacerdotes & reges inauthorantur, erit nihilo secius & hæc, quæ infirmorũ est (etsi interdum nõ tempore) ratione tamen postrema. Qua vero ratione Christiana religio cæteris cæremoniis veteris legis euanescentibus, vnctionis mysteriũ retinuerit, repetere hic non est necesse. Nam id superius nos docuisse meminimus.

Cur dicatur extrema vnctio.

Finis extremæ vnctionis.

Cur huius sacramẽti virtus hodie non sit tã euidẽs, quàm fuit olim in ecclesia.

4. vnctiones in ecclesia.

Catechumenorum.

Post baptismum.

In confirmatione.

Aegrotorum.

Sacerdotũ & regũ.

VErum de institutione huius sacramenti videndum est. Marci 6. legimus, quemadmodum Christus duodecim illos ad se vocarit, eosdémque binos miserit, certa quadã legationis forma prescripta, & potestate qua vterentur, data & concessa. & statim sequitur: Exeuntes, prædicabant vt pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægrotos, & sanabantur. Vngebant, inquit, oleo multos ægrotos, non dubium, quin ex Christi institutione ac mandato, non sua præsumptione: Absit enim vt vel in mem-

De institutione huius sacramẽti. Marc. 6.

Apostoli ægrotos ex Christi institutione vngebant.

Matt. 10. tem nostrã veniat, sanctos Apostolos in tanta legatione præter Christi præscriptum quippiã fecisse, qui non sua, sed tantum data potestate vtebantur, scientes quia non est discipulus supra magistrum. Nam q̃ vani sint, qui ex hac vnctione officium ciuile faciunt, quis non videt? neque enim Christus suos discipulos chirurgos fecit, sed Apostolos, qui vngerent ægrotos oleo, nõ quidem medicinali, sed sacramentali & mystico. Addit autem Euangelista, ægrotos ab Apostolis inunctos, sanatos fuisse, virtutemque præsentem exteriori signo nõ defuisse. Veteres ergo pio ac recto iudicio ex eo loco asserunt, ecclesiam hoc sacramentum ex ipsius Christi institutione accepisse, quanuis postea diuus Iacobus Apostolus, modum ac formam administrationis eiusdem clarius expresserit, ac quod ipse à Christo acceperat, populo tradiderit, i hæc verba: Infirmatur quis in vobis? inducat presbytos ecclesiæ, & orent super eum, vngẽtes eum oleo in nomine domini, & oratio fidei saluauit infirmum, & alleuiabit eum dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Quæ verba manifestè declarant, hanc vnctionem sacramentum esse, quæ neque signo creat visibili, nec promissione gratiæ. Porrò Apostolum eiusdem vnctionis meminisse, quam Euangelium docet Apostolos, potestate à Christo accepta, ægrotis adhibuisse, plurimi ex patribus & Græcæ & Latinæ ecclesiæ satis idonei testes sunt, è quorum numero primus occurrit diuus Hieronymus, seu quisquis tandem est is scriptor, certè pius ac vetustus, in Marcum cap. 6. dicens: Quum vngũt oleo ægrotos, infirmitatem fidei virtute corroborant. Corroborant autem intercessione & oratione fidei, quam Dei clementia exaudiet, & se exorabilem præstabit, cuius sacramentum est oleum consecratum. Itidem author libri de visitatione infirmorum, diuo Augustino hactenus inscripti, sic ait: Nec prætermittendum est illud Apostoli Iacobi præceptum: Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, &c. Et statim post: Ergo sic roges de te & pro te fieri, sicut dixit Apostolus Iacobus, imò per Apostolum suum dominus: Ipsa videlicet olei sacri delibutio, spiritus sancti typica vnctio intelligitur. Hæc ille. Innocentius quoque eius nominis primus, quem Concilium Aphricanum (cui & beatus Augustinus interfuit) vti Papam præcipuò diuinæ gratiæ munere in sede Apostolica præsidentem, cum summi honoris delatione

Vani qui ex hoc sacramento officiũ ciuile faciunt.

Veteres asserunt hoc sacramento ex Euãgelio.

Iaco. 5.

Eadem est vnctio, de qua narrat Euãgelium, et quã docet Iacobus.

Hieron. in Mar. c. 6.

Augu. de visit. infirmorum.

venerari

venerari nō dubitauit. Is, inquam, in decretis suis ad Eugubinum cap. 8. apertè pronunciat, hanc vnctionem genus esse sacramenti. Proindéque quibus reliqua sacramenta negātur, iis ne hoc quidem concedi posse, diuos Ambrosium & Gregorium in testes euocare nō est necesse, à quibus etiam inungēdi formulas & preces accepimus ac retinemus. Deniq; Bedā (vt Lyranum & cęteros recentiores prætereamus) prędictū locum Marci Euangelistæ exponens, pronūciat hoc sacramētum vnctionis infirmorum, vt cætera omnia, à Christo institutum, per Apostolos ecclesiæ traditum. Ex Græcis (vt omittamus interim vetustissimū illum Dionysium Areopagitam) suffecerit attulisse diuum Ioannem Chrysostomū, ac Theophylactum. Ille lib. 3. de sacerdotio, huius sacramenti & eius ministri meminit, de sacerdotibus loquēs in hæc verba: Neque enim solum quum nos regenerant, sed postmodum etiā condonādorum nobis peccatorū facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? accersat presbyteros ecclesię & orent super eum, vngētes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluum reddet laborantem, & eriget eum Dominus, & si in peccatis erit, remittētur ei. Hactenus ille. Hic verò, nempe Theophylactus, Euāgelium Marci edisserens cap. 6. sic ait: Quod vnxerāt Apostoli, solus Marcus narrat, quod & frater domini Iacobus in catholica epistola dicit: Infirmatur, inquit, quis inter vos? aduocet seniores ecclesiæ, & orēt super illum, vngētes eum oleo &c. Est igitur oleum (vt subiicit Theophylactus, signi mysterium declarans) & ad labores vtile, & lucis fomentū, & hilaritatis effectiuum, significātq; misericordiam Dei & gratiam spiritus, per quā à labore liberamur, & lucem & gaudium, hilaritatémque spiritualem accipimus. Hæc ille. Est itaque hoc sacramentum, non ex humana, sed ex Christi institutione & Apostolica traditione descendens, id quod vniuersalis ecclesiæ, tam veteris quàm nostræ, Græcæ pariter & Latinæ, consensus, simul & ipse sacramenti vsus, quammaximè comprobant.

Innocen. 1. ad Eugu. cap. 8.
Ambrosius
Gregori⁹.
Beda.
Lyranus.
Dionysius.
Chrysostomo. lib. 3. de sacerdotio.
Theophy. in Marc. cap. 6.
Oleū quid significet, in hoc sacramento.

Qui huius sacramēti vim hinc eleuare contēdunt, quòd epistola diui Iacobi Apostoli non sit certi authoris, nostra sententia planè desipiunt, quòd ecclesia, quæ hoc (veluti Dei viui columna & firmamentum veritatis) peculiare habet, vt possit discernere verba Dei à verbis hominum, olim hanc epistolam diuò Iacobo tribuerit, & Apo-

Respōdetur huius sacramēti cōtemptoribus & corū cauilla. 1. Tim. 3.

Hieronymi cēsura de epistola Iacobi.

stolico spiritu plenam iudicarit, atque adeò diuus ille Hieronymus, quo nullus vnquã in scripturis doctior, neq; exactiori censura fuit in distinguẽdis certa à dubiis, hanc epistolã ipsi Iacobo apertè, idq; nõ sine magna epistolæ laude ascribit: Iacobus, inquit, Petrus, Iudas & Ioannes septem epistolas ediderunt, tã mysticas quàm succinctas, & breues pariter & lõgas; breues in verbis, lõgas in sententiis, vt rarus sit qui nõ in earũdem cæcutiat lectione. Vides vt beatus Hieronymus idem iudicium de Iacobi profert epistola, quod de Petri, nec putat indignam apostolico spiritu. Iam quum planè constet, apostolum hanc vnctionẽ pro sacramẽto tradere, nequaquã dubitandum est, verè sacramentũ esse, & Apostolũ nõ fuisse tã impiè arrogantẽ, vt pro sacramẽto traderet populo, quod sacramentum non esset. Quare etsi Apostolus condendi sacramenti potestatem non habuit, constat tamen eum verbis illis tradidisse populo quod ipse à Christo acceperat: qui vt alia mundo volebat innotescere per Matthæum, alia per cæteros Euangelistas, quid prohibet, quo minus quędam etiam doceri voluerit per Apostolum Iacobum?

Iacobus quod à Christo acceperat, promulgat

Verbũ huius sacramenti.

VErbum quo hoc sacramẽtum traditur, eãdem in omni ecclesia sentẽtiam habet, etsi vbique eisdẽ dictionibus seu prędscriptis verbis haud pronũtietur. Vngitur enim ęgrotus oleo sanctificato in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, adiectis verbis precatoris, nempe, vt quicquid illicito visu, auditu, ac cæteris sensibus seu membris ægrotus deliquit, per huius olei vnctionem expietur, cum imprecatiõe pacis. Innititur autem hoc verbum, quo sacramẽtum traditur, promissioni, quam Apostolus acceptã, idque nõ dubium, à Christo promulgat, dicẽs: Et oratio fidei saluabit infirmũ, & si in peccatis sit, remittẽtur ei. Quę etiã verba satis indicãt huius sacramenti vim, quammaximẽ ab oratione fidei dependere. Quamobrem ecclesia ministrationi huius sacramẽti plures precationes quàm vlli ferè alij sacramento adhibet, eãsque admodum pias, quemadmodum paulò ante meminimus.

Iaco. 5.

Promissio gratiæ.

Elementũ huius sacramenti.

ELementũ huius sacramenti, est oleum sanctificatũ, cuius mysteriũ superius ex Theophylacto retulimus. Oleum enim & sanitatis & hilaritatis effectiuum, & lucis fomentum est: pręterea ad labores vtile & lenitiuum. Quæ omnia in huius sacramenti dispensatione diuina virtute per fidei efficaciam in homine ægroto agi significantur.

Propterea

PRopterea enĩ hoc ſacramentũ potiſsimum adhibetur & ea eſt huius ſacramenti ritè ſuſcepti vis, vt aduerſus ter riculamẽta & trepidationes inſtãtis mortis (quæ ſolent mẽti hominis morbo grauiter decũbentis occurſare) pium ſo latiũ ſit, ac fiducię titubantis fulcimentũ. Quod tũ certè fit, dũ qui inungitur, recogitat ſeſe per fidelẽ illam & piã eccle- ſię (cuius cõſortio ipſe vti viuũ membrum inſitus eſt) preca tionẽ, quę in hoc ſacramẽto adhibetur, vel cõualiturũ ſeſe, ſi tamen Deo ita viſum erit, & quòd ad animę ſalutem attinet, ſalutare ei fuerit, vel ſaltem cum certa fide, bonaque ipſe hĩc emigraturum, atque in Domino obdormiſciturũ, idque ma ximè, quũ ſcit ac intelligit orationẽ fidei, pręſertim eã (quę & ſignum externũ & promiſſionẽ, Apoſtolica traditione co firmata ſibi annexa habet) apud Deum vanam eſſe, nõ poſſe, ſed ad alleuiationem, quum corporis, tum animi, atque adeò ad remiſſionem peccatorum, plurimum valituram.

Huius ſacramẽti vis.

Fiduciæ titubãtis ſuſtẽtaculũ.

Iacobi. 5.

Quo affectu eſſe oportet hoc ſacramẽto muniẽdũ.

Affectus quo ægrotus ſe presbytero vngendũ offerre debet, is erit, quo olim ægroti ſe Apoſtolis vngẽdos prębebãt, nimirũ vt intus ac foris, ſi ita Deo viſum erit, ſanetur. Cogitare itaq; debet presbyter, ſe nõ ſuã, ſed Apoſtoli Chriſti, atque adeò eccleſiæ perſonã gerere, atq; hoc agere, vt ægrotus perinde atq; athleta inuictus, ac velut in extrema lucta cõſti tutus, omnibus ſatanicis tẽtationibus (quas tũ potiſſimũ dia bolus cateruatim ſolet ingerere) fortiter reſiſtat, ac ad omnẽ tentationis impetũ conſtanti animo dicat: Chriſti membrũ ſum, Chriſti athleta ſum. In cuius ſignũ oleo etiã externo, ſecundũ Apoſtoli traditionẽ inunctus ſum. Quamobrem tu princeps mundi huius, tu immũde ſpiritu, diſcede. Ille enim te foris eiecit, quãobrem in me nõ habes quicquã, nihil mihi & tibi cõmune. Nam quę cõuentio Chriſti (cui inſitus ſum) & Belial? Quis conſenſus templo Dei cũ ſatana? Adhæc, etſi multis ſtipatus ſatellitibus in animæ meæ excidium cõiuratis appareas, non te timeo tamen, non te metuo: plures enim mecũ ſunt, quãm tecũ. tota enim eccleſia ſanctorum pro me curam agit, orat, meque in ſuã tutelam recipit, aduerſus quã nõ præualebis. Habeo interim à Deo certiſſima fiducię meę ſigna ac teſtimonia, nẽpe ſacramenta pœnitẽtiæ, euchariſtię, & hoc extremæ vnctionis, quibus Deus me nequaquã fallet, ſed promiſſioni ſuę aſſiſtens, faciet ac perficiet etiam omnia, ſiquę in eorundem exhibitione mihi pollicitus eſt. Hæc atque

Quomodo tẽtationibus diabolicis in extremo agone obſiſtẽdũ ſit.

Ioan. 14.
Lucæ. 11.
Ioã. 12.
2. Cor. 6.
4. Reg. 6
Matt. 16.

Sacramẽta fiduciæ noſtræ certiſſima ſigna.

alia eiuſcemodi piè cogitanti, quis dubitet hoc ſacramentũ magnam alleuiationẽ mentis aduerſus horrorem mortis (in quam inſtantem tum tota defigit oculos) adferre, itidem aduerſus ſatanæ impetus, tum ſolito grauiores, plurimum valere? Quòd ſi tũ omniũ maximè ac modis omnibus ad laborãdum eſt atque etiam vndique omnia pietatis fulcimenta cõgerẽda ſunt, ne ęgrotis fiducia excidat, ſed vt quãmaximè ad uerſus ſpiritales inſidias roborẽtur, nõ rectè faciunt qui hoc ſacramentũ in eum vſum peculiariter inſtitutũ, ac tanto cũ ſerio per Apoſtolum Iacobum eccleſiæ traditum, ex eccleſia auferre moliuntur. Neque tamen dicimus hoc ſacramentum abſolutè ac omnino ad ſaluté neceſſariũ, modò ne cõtemnatur, ſed magis eſſe ad fulcimentũ pietatis, proindéque piis votis ab ægroto, priuſquam hinc excedat, expetẽdum. Pręterea reiterationi eius, quemadmodum pœnitentiæ, in eccleſia locus eſt, recurrente ſcilicet ſubinde morbo aliquo grauiore.

Nõ rectè facũt qui hoc ſacramẽtum ex eccleſia tollere annituntur.

Reiteratur hoc ſacramentũ.

Ritus qui adhibẽtur huic ſacramento.

TOtus ritus, quẽ eccleſia in miniſtratione huius ſacramẽti adhibet, in plurimis illis orationibus longè pientiſſimis (quæ ad ſingulas vnctiones adhibentur) cõſiſtit, quas referre lõgum fuerit, nec eſt neceſſe, quòd omnibus paſſim, maximè parochis, expoſitæ ac obuiæ ſint & intellectu faciles.

Huius ſacramenti miniſter.

POſtremo, huius ſacramẽti miniſter ſacerdos eſt, ita docẽte Apoſtolo Iacobo: Infirmatur quis in vobis? inducat preſbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eũ &c. Sacerdos verò in eiuſdẽ ſacramenti miniſtratione, non ſuã, ſed Apoſtoli Chriſti ac eccleſiæ perſonã, quemadmodũ & in cęteris ſacramentis, gerit ac repræſentat. Nã vt Chriſtus eſt qui baptizat, qui corpus ſuũ impertit, qui abſoluit: ſic Chriſtus eſt qui intrinſecus inungit, ſacerdote externũ tantũ miniſteriũ adhibẽte. Breuiter, Chriſtus eſt Samaritanus ille euãgelicus, qui homini à latronibus diſpoliato, ac grauiſsimis plagis affecto appropians, cæteris prætereũtibus, ſolus miſericordia mouetur: & totus intentus curationi hominis tam miſerè affecti, ſacramẽtorum, ſuorum alligamenta adhibet, quẽ & alligatum, iumentóque ſuo impoſitũ, in ſtabulum eccleſiæ ducit. Sacerdos autem ſtabularij vicem gerit, cui præcipitur, vt curam ægroti agat, ſed pharmacis à Chriſto vero illo Samaritano, hoc eſt hominum cuſtode præſcriptis, qui ſolus ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.

Iaco. vlti.
Matt. 3.
Marc. 1.
Luc. 3.
Luc. 10.
Pſal. 146

Ipſi gloria in ſecula. Amen.